



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Nicolaus Miles. 24. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

24. Dec. VITÆ SANCTORUM. 799  
tam se esse etiam illi hunc conciliare.  
His & similibus dictis jam dudum pa-  
rili amore *Victoria* in Christum fere-  
batur. Quò ergo cum sibi devinceret,  
misso homine dotem in paranymphos  
pauperes profundit, & in exilium acta  
ad alteras jam nuptias se parat. Jamque  
unica purpura nuptialis deerat. Bonum  
factum: dedit hanc sanguis pro sponso  
fusus. Ex *Adone & Aldelmo*.

*Amor rerum terrenarum viscum est  
spiritualium pennarum. Ecce concupisti,  
hæstisti. Quis dabit tibi pennas ut co-  
lumbæ? quando volabis? ubi verè requies-  
cas, quando hîc, ubi malè hæstisti, per-  
versè requiescere voluisti? S. August.  
serm. 33. de verb. Dom.*

### S. NICOLAUS MILES.

24. Decembris.

**H**anc militum ego periculosissimam  
pugnam, puto, quam cum castita-  
tis hoste Amore pugnant. Nam huic  
succumbere, quid aliud est quàm trium-  
phos suos vendere? *NICOLAUS* nostro  
crede, qui cùm in *Bulgaros* movit *Ni-  
cephori Imp.* auspiciis, ecce priusquàm  
bellum hostis faceret, militi mulier fe-  
cit hospitis filia. Ter impetum in castis-  
simum fecit; sed ter *NICOLAUS* repulit  
verecundiæ umbone tutus. Poterat ergo  
ante

300 VITÆ SANCTORUM. 24. Dec.  
ante pugnam victoriam canere, solus ex  
omni exercitu Nicephori victor. Etenim  
sub noctem somnus NICOLAUM in  
campum producit; vidit stantes utrim-  
que acies, signa signis inferri, viros viris  
concurrere, scuta scutis, pede pedem ha-  
rere. Interea aspicit ex caelestibus ducibus  
unum, qui decussatis in crucem pedibus,  
aleam belli regebat, & victoriam ex suo  
arbitrio dispensabat. Nam cum sinistrum  
pedem dexter premebat, Romani; cum  
sinister dextro incumbebat, Bulgari vin-  
cebant. Sed & inter caesorum corpora  
locum vacuum videt, auditque fatalem  
eum sibi & commilitonibus suis futu-  
rum fuisse, si Veneri heri palmam cessis-  
set. Somnii veritatem cum sole dies  
ostendit, & strages Romanorum, qui-  
bus vincētibus primò, Bulgari ultimò  
victoriam extorserunt. Tum enim verò  
NICOLAUS rectius dehinc bellatu-  
rus, nomen militiae religiosa dedit. In  
hac tot trophæa posuit, quot pugnas pu-  
gnavit. Illud nobilissimum omnium est,  
quod *Nicolaus de Nicolao* statuit. *Ex*  
*Mensis.*

*Vide quid tibi ante tribunal illud terri-  
ficum respondendum sit de eo, quod in va-  
no animam tuam, & animam talem; se  
inveniaris nihil egisse amplius de immor-  
tali & rationali spiritu, quam quod vis  
pecus de suo?* S. Bern. epist. 104.

NA